COMPENDIUM
VITÆ, VIRTUTUM,
ET
MIRACULORUM,
NECNON
Actorum in Cauſa
CANONIZATIONIS
B. AGNETIS
MONTIS POLITIANI
MONIALIS PROFESSÆ
Ordinis Prædicatorum.



ROMÆ Typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ 1726.

Digitized by Google

IN Territorio Civitatis Montis Politiani in quadam Villa, quæ Graccianum vetus dicebatur, ex piis, honeſtiſque Parentibus ortum habuit Beata Agnes, Anno reparatæ ſalutis milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo. Hujus futura Sanctitas inſigni Prodigio fuit præmonſtrata: Siquidem in Matris Cubiculo confeſtim plures faces divinitùs accenſæ apparuerunt, illud profectò adſtantibus prænunciantes, quod poſteà decurſu temporis probatum eſt; Puellam ſcilicet tantis fore ornandam virtutibus, ut earum ſplendor eſſet ab omnibus, non abſque ſtupore, perſpiciendus. Nihil in ea, quod pueritiam ſaperet, viſum eſt; neglectis namque puerilibus Jocis, frequenter ad ſecretiora Domus ſe recipiens, ibi flexis genibus, junctiſque manibus, orationes, quas balbutiendo didicerat, devotè recitabat. Senilem gerens animum, licet annis puellula, nuntium ſeculo remittere meditata eſt, ut ſe totam Divino obſequio conſecraret:

quamobrèm ſæpiùs, quibus poterat verbis, ſe ſanctimonialem eſſe velle Parentibus repetebat; verùm hæc tanquam per jocum, aut ex levi animo dicta deſpiciebantur.

Intereà, dum adhuc novennis de Villa veniens appropinquaret ad quemdam Collem non procul à Porta Montis Politiani poſitum, ubi tunc publicæ peccatrices commorabantur, quamplures Corvi de ipſo Colle protinùs exeuntes Agnetem impetu facto aggreſſi ſunt, ejuſque caput unguibus, & roſtro, ut cœperant, procul dubio pęnitùs dilaniaſſent, niſi ab eorum rabie fuiſſet opportunè liberata. Obſtupuere mulieres, quæ Agnetem comitabantur, & adhuc periculi metu trementes hoc ad invicem conferebant; quid namque tam mira Corvorum rabies adversùs innocentem puellam portenderet; quibus ipſa talem fertur dediſſe ſententiam: Iſti Corvi tam crudeliter mihi adverſantur, quia non permittitis, me divino obſequio ſub Religionis habitu mancipari. Sanè reſponſum hoc ex Sancto puellæ propoſito proceſſiſſe credendum eſt; aliud tamen, & quidem mirabilius illa Corvorum ſęvities indicabat. Prævidebant enim maligni ſpiritus, qui tunc Corvorum ſpeciem ſimulabant, quod puella hæc illos tandem aliquando de præfato turpitudinis habitaculo erat expulſura, quemadmodum, ut dicemus, rei probavit eventus. His itaque permoti Parentes, ne diutiùs divinæ voluntati obſiſterent, Filiam Agnetem inter Moniales de Sacco

nun-

nuncupatas, juxta ejus votum ſæpius probatum, Altiſſimo dedicarunt.

Mirum ſanè, quot illa virtutibus in hoc virginum Contubernio cœperit enitere. Sub Magiſterio cujuſdam Sororis Margaritæ morum probitate, ac prudentiâ conſpicuæ conſtituta, talem in humilitatis, & obedientiæ experimentis ſe præbuit, ut nedùm Magiſtram ipſam, ſed & virtute, ac pietate provectiores in ſui admirationem perduceret. Ad nutum obediens, quidquid ſibi à Magiſtra indicebatur, ſummâ cum promptitudine, ac hilaritate perficiebat: ſæpius etiam mandata præveniens, ad ſervilia quæque, vel abjectiſſima Officia ſponte ſe demittebat, idque ſtudio humilitatis peragebat ſui contemptum exoptans: nihil enim gravius, ac moleſtius illi contingere poterat, quàm ſi ab aliis commendaretur.

Quidquid porrò temporis ab injunctis exercitiis ſupererat, totum orationi, vel lectionibus inſumebat, tantoque fervore ſpiritus in orando ducebatur, ut ſæpiſſimè adhuc in illa tenera ætate in eſtaſim raperetur. Quantùm verò lectionibus, & orationibus ſpiritum ſuum reficere conabatur, tantùm jejuniis, vigiliis, aliiſque afflictationibus corpus ſuum vexare ſtudebat. Noctes fermè omnes ducebat inſomnes, ciliciis, ac flagellis carnem ſuam cruentabat, ſoliſque herbarum radicibus, quandoque etiam ſolo pane, & aqua nutriebatur: Sororibus autem hanc nimiam abſtinentiam culpantibus iſta dictitare conſueverat;

Pro-

Proditori domeſtico, ſcilicet corpori nullatenus eſſe parcendum.

His virtutibus permotæ Moniales, Cellarii curam Agneti commiſerunt, in quo miniſterio tantâ charitate, ac prudentià enituit, ut omnium Monialium amorem ſibi conciliaverit. Suimet oblita, ut aliis inſerviret, ſic omnibus ad victum neceſſaria diſpertiebat, ut ſingulis unicè intenta videretur: In ſingulis enim, ut ipſa dicebat, Chriſtum ſe videre arbitrabatur; propterea quidquid in illas contulerat, in Dominum ſe contuliſſe gaudebat. Tum id mirabile in ea fuit, quod hujusmodi Officiis intenta, nunquam mentem à Divinis contemplationibus diſtrhaxit, ſed uno eodemque tempore meditabatur cœleſtia, & terrena miniſtrabat. Erga Beatiſſimam Virginem ſummo fervens devotionis affectu, eam crebris orationibus interpellabat, ut ſibi, quomodo Sponſo ſuo placere poſſet, indicare dignaretur: dum autem quâdam die ardentius oraret, ejuſdem Beatiſſimæ Virginis viſione recreata eſt, quæ ipſam dulciter alloquens, tres ei lapillos obtulit, in ſignum, quod ejus nomini novam Eccleſiam erat inſtructura.

Hujus Sanctitatis fama in exteras Regiones ita brevi tempore diffuſa eſt, ut habitatores Caſtri Proceni eamdem pro fundando Monaſterio per Nuntios invitaverint. Jacturam hanc ægreferentes Moniales, provinciam Sorori Margharitæ Agnetis Magiſtræ demandarunt; quæ cum con-

ſtan-

ſtanter aſſereret, ſe ad id peragendum minus aptam eſſe, niſi, & ipſa Agnes in auxilium accederet, illi tandem, ut diſcipulam ſibi in ſociam adſciſceret, permiſſum eſt. Huic novo Monaſterio, quod brevi tempore fuit conſtructum, & pluribus Virginibus, ipsâ Agnete alliciente, refertum, Soror ipſa Margharita, utpotè longiori probata experimento, ac ætate provectior, procul dubio fuerat præficienda: verùm quod ætati Agnetis denegandum erat, id virtuti ejus, quæ ſupra ætatem enitebat, fuit conceſſum: ſuadente ſiquidem univerſo Proceni Populo, rogantibus omnibus Monialibus, jubente eâdem Magiſtrâ, ſolâ Agnete reluctante, Agnes ipſa vix quindecim annos nata, ex pontificia diſpenſatione, raro tamen exemplo, præficitur.

Quibus virtutum radiis effulſerit lucerna hæc jam poſita ſuper Candelabrum, ut luceret omnibus, quæ in Domo erant, non facile quiſquam poterit enarrare. Ut Virgines illas curæ ſuæ concreditas ad vitæ Sanctimoniam efformaret, unique Deo, ac ſpiritualibus rebus adſtringeret, ſe ipſam omnium virtutum exemplar inſtituit: Nihil de hactenus ſuſcepta vitæ ratione diminuens, nudâ cubabat humo; ſingulis diebus ſolo pane, & aquâ victitabat; ſilentio addicta, nonniſi de Deo, aut cum Deo colloquebatur; orationi firmiter inhærens per plures horas immota manens Dilecto ſuo jungebatur; charitate fervens omnibus Monialibus præſto erat, tantâque

leni-

lenitate, ac humilitate ſe cunctis exhibebat, ut ſubeſſe potiùs videretur, quàm præeſſe.

Mirum porrò eſt, quibus in hoc novo Monaſterio fuerit è Cœlo donata gratiis, quibus aucta beneficiis. A Sacra Deipara Jeſum in forma lactentis, dum oraret, excepit, eumque aliquandiù ſinu complexa, crucem tenui filo alligatam ab ejus Collo detrhaxit: pluries etiam in ferventi oratione poſita Sacram Euchariſtiam de manu Angeli ſuſcepit.

Verùm amplioribus, ac fermè inauditis prodigiis Virgo hæc à Virginum Sponſo illuſtrata comprobatur. Cum namque Diœceſanus Epiſcopus Ancillam Chriſti de more conſecrare, Sacrumque Velamen Capiti ejus imponere decreviſſet, ſtatutâ die ad hoc Officium peragendum, jamque ipſo Præſule cum Clero Eccleſiam introeunte, tota ipſa Eccleſia minuto quodam Manna, ad modum Crucis elaborato, undique reſperſa, ſtupentibus omnibus inventa eſt; quod ſanè prodigium eò mirabilius evaſit, quò frequentiùs contingebat: quotiès enim Beata hæc ab oratione ſurgebat, toties ejus pallium hujusmodi candidis guttis, effigiem Crucis referentibus, abundè reſpergebatur: cui & novum, idemque perrarum miraculum accedebat: nam & locus ipſe, ubi Agnes in oratione genua flectebat, Flores miræ pulchritudinis, ac ſuaviſſimi odoris germinabat.

Ultra

Ultra Compendii finem excurrerem,ſi cætera, quæ in Proceni Monaſterio mirabiliter acciderunt, ſirgillatim enumerare conarer. Quot ibi Demones ab obſeſſis corporibus fugaverit, quot infirmos ad priſtinam ſanitatem reſtituerit, quot peccatores monitis, & exemplo ad virtutum ſemitas reduxerit, quoties etiam panem, & oleum ad levandam Monialium inopiam multiplicaverit, ſatis ſuperque hiſtoriis proditum eſt. Gravi morbo correpta in eodem Proceni Monaſterio invictam tolerantis animi conſtantiam exhibuit. Hortabantur Sorores, ut pœnitentiæ ſuæ rigori modum imponeret, ſed hortationibus, utpotè ad flectendum Agnetis animum minùs aptis, Medicorum, ac Confeſſarii mandata fuerunt ſuperaddenda. His, ut par erat, obtemperans, carnes ſibi parare permiſit: verùm, dum horâ prandii fuerunt illi appoſitæ, præmiſsâ ab Agnete brevi Oratione, confeſtim in piſces converſæ ſunt.

His, aliiſque mirandis operibus, quibus omnipotens Deus Sanctitatem Ancillæ ſuæ comprobavit, magis, ac magis percrebuit fama ejus: quæ dum apud exteras nationes majorem ipſi venerationem conciliabat, apud vicinos ſuos quamdam æmulationis ſpeciem concitavit. Itaque abſentiam Agnetis ægreferentes Montis Politiani Cives eamdem ad Patriam ſuam revocare nituntur. Parentum pietatem, Civium etiam ſpiritualem profectum objiciunt, ut ejus animum flectant, &

voti compotes efficiantur. Reſtitit diù horum ſupplicationibus Agnes, piaculum exiſtimans, dilectas Filias tanto mœrore perfundere. Exploratâ tamen per orationem divinâ voluntate, ſummâ cum illorum exultatione ad Civitatem Montis Politiani reverſa eſt.

Hic, Deo inſpirante, arduum opus aggreſſa eſt, quod & feliciter abſolvit. Collem ipſum, quem meretrices deturpabant, expurgandum ſuſcepit, tantoque ſtudio Cives ipſos permovit, ut iiſdem certatim adjuvantibus, novum inibi Monaſterium ſub cura Fratrum Prædicatorum, novamque Eccleſiam ſub Invocatione S. Mariæ Novellæ, deſtructo penitùs Diabolico receptaculo, conſtruxerit. Sic igitur Agnetis operâ illud perfectum eſt, quod ipſi de Eccleſia ſub ejus nomine conſtruendâ Deipara Virgo, dum lapillos conceſſit, prædixerat: illud etiam completum, quod olim Corvi de Colle ipſo exeuntes portenderant; quod nempè deſtructo Demonum Contubernio, locus ille pudicitiâ Virginali erat conſecrandus, quem ſummo ſcandalo turpitudo Luxuriæ deſędabat.

In hoc ſecundo Monaſterio, cui Agnes, licet invita, communibus votis præfecta eſt, quid ipſa peregerit, quas virtutes coluerit, qualem vivendi formam ſervaverit, ſupervacaneum eſt inquirere, nimiſque laborioſum foret percenſere. Hoc unum dixiſſe ſat erit, quod nihil de priſtina vitæ ſeveritate quidquam immutavit. Ad exemplum

S. Pa-

S. Patris ſui Dominici mirabiliter efformata, nihil quod ad aliorum ſalutem, & ad ſui contemptum perduceret, omittebat: non verbis, non hortationibus, non minis, ſed ſolo exemplo cæteras Moniales ad regularem obſervantiam promovebat: ejus enim vita omnium erat diſciplina, à qua vel ſolo aſpectu capere quiſque poterat documenta virtutum.

Amplioribus itaque referta meritis, amplioribus quoque donis à Cœleſti Sponſo cumulata eſt; Pervia ſiquidem illi erant arcana Cœleſtia, multa futura prædixit, intimas Cordium cogitationes penetravit, imminentem etiam ſibi infirmitatem, diemque ſui obitus præcognovit. Diuturna ſanè, ac graviſſima fuit infirmitas hæc, quâ Deus Sponſam ſuam, velut aurum in fornace probavit. Verùm, & in eâ tolerandâ ſumma fuit, ac penè mirabilis Agnetis conſtantia. Languebat illa corpore, ſed mente ſollicita nihil reliqui faciebat, ut optimè rerum ſpiritualium, ac temporalium regimen in Monaſterio ſervaretur: quodque majus eſt, graviora pati cupiens, ut Crucifixo dilecto ſuo conformior evaderet, remedia quæque corpori ſuo conſtantiſſimè denegabat. Juſſa tamen, increſcente morbo, conſiliis medicorum acquieſcere, ad balnea Clanciani, quæ Medici judicabant proficua, è contrà verò noverat ipſa per revelationem, nihil eſſe pro futura, ſingulari obedientiæ exemplo ſuperiorum mandatis obtemperans incunctanter perrexit. Omnibus ibi

 pera-

peractis, ſed inutiliter, quæ Medici Agneti ægrotanti pro recuperanda ſalute præſcripſerant, poſt aliquot dies, iiſdem quibus antea gravata moleſtiis, ad Monaſterium regreſſa eſt, immaculatam animam Creatori ſuo, pro ut noverat, brevi redditura.

Non hìc tamen ſilentio prætereundum, quod Omnipotens Deus in ipſo Balneo ad Gloriam Ancillæ ſuæ Agnetis mirabiliter operatus eſt. Vix enim ingreſſa fuit in aquam: continuò balneum cœpit Manna de Cœlo repleri, ex quo iiſdem aquis tanta virtus acceſſit, ut earum contactu quamplures ab infirmitatibus curati ſint: Duo inſuper in eodem Balneo mirabilia contigerunt: ſiquidem, deficiente vino ſodalibus ſuis, virtute precum ſuarum aqua in vinum converſa eſt, & parvulus in aquis merſus ad vitam revocatus.

Jam noviſſimum vitæ ſuæ tempus inſtare noverat Beata Agnes, quo quidem ſplendidiora exhibuit exempla virtutum, ut ſcilicet bene parato animo, advenienti morti ſe ſiſteret. Itaque toleratis per multos dies mirâ, & Chriſtianâ patientiâ mortiferis anguſtiis, ſumptiſque ſummo Religionis affectu Eccleſiæ Sacramentis, regularem obſervantiam mœrentibus Sororibus commendans, eiſdemque perpetuum de Cœlo ſpondens patrocinium, extremum vitæ ſpiritum in oſculo Domini ſuaviter efflavit Anno ſalutis milleſimo tercenteſimo decimo ſeptimo, die 20. Aprilis circa mediam noctem, ætatis ſuæ quinquageſimo.

Feli-

Felicem Beatæ Agnetis exitum quamplurima, & quidem ſingularia prodigia comitata ſunt. Eodem ſiquidem momento, quo Creatori ſuo reddidit Spiritum, Infantes divinitùs à ſomno excitati, protinùs ejus mortem parentibus ſecum dormientibus nunciarunt. Puellæ Virgines mane facto, nemine niſi Deo vocante, ad Eccleſiam Monaſterii cum Cereis albis confluxerunt: plures etiam Infirmi ab ipſa Agnete moniti, ac de recuperanda ſalute certiores facti, in eadem Eccleſia pro tangendis Sacris Reliquiis congregati ſunt. Sacrum itidem Corpus ejus continuò ſuaviſſimum odorem cœpit emittere, qui omnium nares, & animos mirâ voluptate complebat: Oleum inſuper ex manibus, ac pedibus manare viſum eſt, quo inuncti languentes plurimi ad priſtinam ſanitatem ſunt reſtituti. Hac ratione Sacrum Agnetis Corpus non ſecùs, ac ſi jam incorruptionem induiſſet, rariſſimo, ac propemodum ſingulari exemplo inſepultum remanſit.

In dies itaque, vel ex remotis locis confluebant Populi, Sacrum Agnetis Corpus, & quidem incorrumptum, ac ſuaviſſimum ſemper ſpirans odorem, inviſuri: ut eidem Beatæ, vel pro acceptis beneficiis gratias agerent, vel pro iiſdem impetrandis humilia vota nuncuparent. Omiſſis plurimis, ac fermè innumeris mirabilibus, quæ decurſu temporis, Deo Sponſam ſuam glorificante, viſa ſunt; illud referre ſufficiet, quod Divæ Catharinæ Senenſi contigiſſe probatur. Fuerat hæc

 à Deo

à Deo præmonita, parem ſe gloriam in Cœlis cum Beata Agnete conſecuturam. Cum itaque ad inviſendum ejus corpus Montem Politianum è Senis adjiſſet, ejuſque pedes deoſculari vellet, illicò Agnes ad os uſque Catharinæ pedem extulit; ut ſcilicet ejus ſubmiſſionem impediret, quam parem in Cœlis noverat eſſe futuram. Alio etiam tempore cum ipſamet Virgo Senenſis ad ejuſdem ſacras exuvias venerandas rediiſſet, ac ſe ad Caput Agnetis reverenter inclinaſſet, confeſtim candidiſſimum Manna in figuram Crucis formatum toto illo loco pluere cepit.

His, aliiſque plurimis prodigiis percrebeſcente Populorum devotione, Clemens VII. per ſuas Apoſtolicas literas in forma Brevis expeditas die 28. Maii 1532. conceſſit Priori, & Fratribus Domus Ordinis Prædicatorum, ac Univerſitati Montis Politiani, ut Beatæ Agnetis Feſtum, quod paulò poſt ejus obitum fieri ceperat, publicè, ac ſolemniter unâ cum Officio proprio liberè, ac licitè poſſet celebrari.

Dein Clemens VIII. per ſuas pariter literas in forma Brevis expeditas anno 1594. approbavit, & confirmavit Lectiones proprias ejuſdem Beatæ pro die feſto ipſius, à Sac. Rituum Congregatione de ipſiuſmet Pontificis mandato jam diligenter reviſas, examinatas, & approbatas, in quibus ejuſdem Beatæ geſta, Virtutes, & miracula recenſentur.

Idem

Digitized by Google

Idem Clemens VIII. per alias ſimiliter literas expeditas die 23. Februarii anni 1601. ſupradictum Indultum celebrandi Feſtum Beatæ Agnetis cum ſupradictis Officio, & lectionibus propriis ampliavit, & ad univerſum Ordinem Prædicatorum in toto Terrarum Orbe extendit.

Gregorius XIII. eamdem in Martyrologio Romano cum titulo Sanctæ deſcribi mandavit.

Sanctus Pius V. per ſuas literas in forma Brevis ſub die primâ Maii 1568. conceſſit Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum viſitantibus Eccleſiam Monaſterii S. Agnetis Montis Politiani toto tempore Capituli Provincialis Fratrum Ordinis Prædicatorum de dicto menſe Maii ejuſdem anni in dicta Eccleſia celebrandi.

Idem S. Pius V. per aliud Breve ſub die 9. Junii 1571. conceſſit ſimiliter omnibus dictam Eccleſiam viſitantibus primâ Maii Indulgentiam pariter ſeptem annorum, & totidem quadragenarum ad Triennium.

Clemens X. tandem anno 1672. in honorem ejuſdem B. Agnetis Indulgentiam plenariam ad 25. annos conceſſit omnibus Prioriſſis, & Monialibus quorumcumque Monaſteriorum Ordinis Prædicatorum, ac aliis in dictis Monaſteriis degentibus, quæ Cappellam, vel Altare intra Clauſtra prædictorum Monaſteriorum exiſtens die Feſto Beatæ Agnetis Montis Politiani à primis

Ve-

Veſperis uſque ad occaſum ſolis Feſti hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaſſent.

Quæ omnia, in Proceſſu ex Commiſſione ſan. memor. Clementis XI. fabricato ad probandum Caſum exceptum ex Indultis Apoſtolicis, fuerunt compulſata: eodemque in Sac. Rituum Congregatione ſub die 3. Februarii 1714. diſcuſſo, emanavit reſcriptum. Conſtare de dicto Caſu excepto, & ſententiam ſuper eo latam ab Eminentiſſimo Cardinali tunc Urbis Vicario eſſe confirmandam, ipſomet Clemente XI. annuente die 4. ejuſdem menſis, & Anni.

Poſt hæc novi fuerunt inſtructi Proceſſus ſuper Virtutibus in ſpecie, & ſuper Miraculis, quæ poſt indultam eidem B. Agneti à Sede Apoſtolica venerationem ſupervenerant, quorum omnimodâ validitate perpensâ, & admiſsâ, atque in Congregatione particulari examinatis Virtutibus ejuſdem Beatæ, tàm Theologalibus, quàm Cardinalibus in gradu heroico, relatiſque Sanctiſſimo D. N. BENEDICTO XIII. ſuffragiis ipſius Congregationis Particularis, Sanctitas Sua, poſt divinum imploratum auxilium, affirmativum protulit reſponſum, & mandavit expediri Decretum.

Proceſſum poſteà fuit ad examen Miraculorum, & ex quatuor propoſitis in generali Congregatione habitâ die 2. Aprilis currentis anni coram eodem SS. D. N. duo communibus ſuffragiis approbationem meruerunt: quorum approbatio-